



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Dvziacence II. Adversvs Incesta Conivgia, Et Rervm  
ecclesiasticarum peruationes, apud Duziacum villam, Idibus Iuniis,  
indictione VII. celebratum, anno Christi DCCCLXXIV. Ioannis VIII. anno ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

nis Caroli regis hoc titulo: *Carolus gratia Dei rex Ansegiso & Hildergario ac ceteris episcopis, qui in Christi nomine congregati huic sanctæ Synodo interestis*: Omnibus negotiis diuinæ res præponendæ sunt. & cetera, vsque ad finem pagellæ. Reliqua enim ad delendam, vt reor, funesti iudicii memoriam, iam olim excisa.

ANNO CHRISTI 874. CONCILIVM DVZIACENCE II.

ADVERSVS INCESTA CONIVGIA, ET RERVM ecclesiasticarum peruationes, apud Duziacum villam, Idibus Iuniis, indictione VII. celebratum, anno Christi DCCCLXXIV. Ioannis papæ VIII. anno II. Caroli Calvi regis XXXV.

EPISTOLA SYNODICA CONCILII  
ad episcopos Aquitanie.

SANCTA Synodus plurimarum prouinciarum, nutu diuino, & sanctione domni Caroli regis gloriosi, apud Duziacum secus municipium Mosomum Rhemenfis parochiæ, in Dei nomine anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIV. indictione VII. Idibus Iuniis conuocata, dilectis fratribus & venerabilibus confacerdotibus nostris, in prouinciis Aquitanicæ regionis sanctas Dei ecclesias gubernantibus, plurimam in Salvatore salutem. Sicut ad humilitatem nostram non incerta relatione atque exinde consultatione peruentum, quamplures, & maxime carne nobiles, & honore temporali sublimes, inter alia Deo & suæ saluti contraria, incestis coniunctionibus, & rerum ecclesiasticarum peruationibus, pestilentia exitiosa in regionibus illis depereunt: affumentes de incesti pollutione velamentum securitatis quorumdam praua & peruersa doctrina, de hoc quod S. Gregorius, sanctæ catholicæ atque apostolicæ Romanæ primæ sedis ecclesiæ pontifex, Augustino primo Anglorum episcopo interroganti vsque ad quoram generationem fideles debeant cum propinquis sibi coniugio copulari, & si nouercis & cognatis liceat coniugio copulari, rescripsit dicens: Quædam terrena lex in Romana republica permittit, vt siue fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum

Responsa  
interrog. 6.

Concil. Tom. 24.

Ccc ij

fororum filius & filia misceantur. Sed experimento edidicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Unde necesse est, vt iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam secunda, quam diximus, a se omnimodo debet abstinere. Cum nouerca autem misceri, graue est facinus, quia & in lege scriptum est: *Turpitudinem patris tui non reuelabis*. Neque enim patris turpitudinem filius reuelare potest. Sed quia scriptum est: *Erunt duo in carne vna*, qui turpitudinem nouercae, quae vna caro cum patre fuit, reuelare praesumpserit, profecto eius turpitudinem reuelauit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quia per coniunctionem priorem caro fratris fuerat facta. Pro qua re etiam Ioannes Baptista capite truncatus est, & sancto martyrio consummatus. cui non est dictum, vt Christum negaret, sed pro Christi confessione occisus est: & quia isdem Dominus noster Iesus Christus dixerat: *Ego sum veritas*, quia pro veritate Ioannes occisus est, videlicet pro Christo sanguinem fudit. Quia sunt multi in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando coniugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi sunt, vt se abstineant, & graue hoc etiam peccatum cognoscant. Tremendum Dei iudicium timeant, ne pro carnali delectatione tormenta aeterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re sacri corporis & sanguinis Domini communionem priuandi sunt, ne in eis illa vlcersi videantur, in quibus se per ignorantiam ante lauarum baptismatis adstrinxerunt. In hoc enim tempore sancta ecclesia quaedam per feruorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat, atque ita portat & dissimulat, vt saepe malum, quod auersatur, portando & dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admonendi sunt ne tale aliquid audeant perpetrare: si qui autem perpetraverint, corporis & sanguinis Christi communionem priuandi sunt. Quia sicut in his qui per ignorantiam peccauerunt, culpa aliquatenus toleranda est, ita in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare. Sed non est mirum, si iuxta beati apostoli vocem indocti & instabiles haec intellectu peruerso deprauant, sicut & ceteras scripturas, ad

Leuit. 2.

Gen. 2.

Ioan. 14.  
Reip. ad  
int. 7.

2. Pet. 3.

ANNO  
CHRISTI  
1574.ANNO  
CHRISTI  
1574.

ANNO  
CHRISTI  
874.

suam ipsorum perditionem, & fiunt magistri erroris qui noluerunt fieri discipuli veritatis, introducentes sectas perditionis, magistri mendaces, promittentes scientiam falsi nominis, & circa fidem excidentem. Sed & de his, qui talium doctrinam potius, quam veritatem sequi ad suam salutem diligunt, egregius prædicator dicit: *Erit, inquit, tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Et item: *In nouissimis, inquit, diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelerati, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes; & hos deuita.* Si enim praua hinc vnde agitur exitiabiliter docentes, & libenter obaudientes veritatem magis quam falsitatem, & salutem magis quam perditionem suam quærere & sequi studerent, non de salubri antidoto spiritalis medici beati Gregorii neophytis confecto potionem sibi veneficam temperarent. legentes, & non negligentes, quæ hinc Felix Siciliensis episcopus, & beato Gregorio connutritus, ad eundem papam scripsit. Ait enim inter cetera in epistola sua præfatus Felix ad beatum Gregorium: Perlatum est ad nos a quibusdam Roma venientibus, vos Augustino confodali nostro, per venerabilem sanctitatem vestram postmodum episcopo Anglorum genti ordinato, & illuc directo, atque Anglis scripsisse, quos olim ad fidem conuersos per vos cognouimus, vt quarta progenie coniuncti non separentur. Quæ consuetudo dudum illis aut istis in partibus, quando vna vobiscum ab infantia nutritus atque edoctus fui, non erat, nec in vllis prædecessorum vestrorum decretis, aut reliquorum generaliter vel specialiter patrum institutis legi, aut hactenus ab vllis sapientibus esse concessum didici: sed semper vsque septimum originis suæ gradum hæc a sanctis antecessoribus vestris, & ceteris sanctis patribus, tam & in Nicæna Synodo, quam & in aliis sanctis Conciliis congregatis, seruari debere reperi, & a recte viuentibus ac Deum timentibus hominibus studiose prouideri cogno-

Epistola vltima Felici episcopo Messan.

ui. Vnde beatus Gregorius inter cetera eidem Felici re-  
scripsit: Quod, inquiens, scripsi Augustino Anglorum  
gentis episcopo, alumno videlicet, vt recordatus es, tuo,  
de sanguinitatis coniunctione, ipsi & Anglorum genti, qua  
nuper ad fidem venerat, ne a bono quod coeperat me-  
tuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter  
ceteris me scripsisse cognoscas, vnde & mihi omnis Roma-  
na ciuitas testis existit; nec ea intentione hæc illis scriptis  
mandauit, vt postquam firma radice in fide fuerint solida-  
ti, si infra propriam consanguinitatem inuenti fuerint, non  
separentur, aut intra affinitatis lineam, id est vsque ad septi-  
mam generationem coniungantur. Sed adhuc illos neophy-  
tos existentes, sapissime eos prius illicita esse docere, & ver-  
bis & exemplis instruere, & quæ post de talibus egerint, ra-  
tionabiliter & fideliter excludere oportet. Nam iuxta A-  
postolum qui ait: *Lac vobis potum dedi, non escam*, ista illis mo-  
do, non futuris, vt præfixum est, temporibus tenenda in-  
dulsumus, ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatū  
erat, exureretur, sed coeptum firmaretur, & vsque ad per-  
fectionem custodiretur. Sane si in his secus quam debui-  
mus aliquid egimus, non propter ipsa in futurum seruanda,  
sed commiserando actum esse cognoscas. & quæ sequuntur,  
*vsque præmia mercedis acquirant. Et post aliquanta.* Proge-  
niem vero suam vnumquemq; de his qui fideliter edocti, &  
iam firma radice plantati stant inconuulsi, vsque ad septi-  
mam obseruare decernimus generationem: & quamdiu se  
cognoscunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non ac-  
cedere societatem. Nec eam, quam aliquis ex propria con-  
sanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutio-  
ne maculauit, in coniugium ducere vlli profecto Christia-  
norum licet, vel licebit: quia incestuosus est talis coitus, &  
abominabilis Deo & cunctis hominibus. Incestuosos vero  
nullo coniugii nomine deputandos a sanctis patribus du-  
dum statutum esse legimus. Ideo nolumus nos in hac re a  
vobis, siue a ceteris fidelibus reprehendi: quia quod in his  
Anglorum genti indulsumus, non formam dando, sed con-  
sideratione, ne Christianitatis bonum quod coeperant im-  
perfectum dimitterent, egimus. Paterna ergo vos dulce-  
dine salutantes hortamur, vt propositas opportunitatis oc-  
casionibus in vestra efficacia enixius elaborare debeatis, at-

1. Cor. 3.

ANNO  
CHRISTI  
1574.

ANNO  
CHRISTI  
1574.

ANNO  
 CHRISTI  
 874.

que id modis quibus possibile fuerit, omni studio agere contendatis, quatenus prædicabile desiderium nostrum in auxilium omnium adiuuante Domino compleatis. Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod omnes incestuosi a liminibus sanctæ ecclesiæ sunt separandi, quo usque per satisfactionem precibus sacerdotum canonicè eidem sanctæ ecclesiæ catholicæ reconcilientur. & reliqua, usque plures conueniunt sacerdotes? Sic & sancta catholica & apostolica ecclesia, secundum sanctarum tramitem scripturarum, prædicationemque maiorum, diffiniuit, quia omnis illicitus concubitus incestus sit: multo magis concubitus cum propinquis, Deoque dicatis feminis, habetur incestus. Qui enim vel cum Deo facratis, vel cum sanguine propinquis miscentur, incesti, id est incasti, iudicantur. Tamdiu vero, vt Christiana religio & auctoritas sanctæ ecclesiæ sancit, coniugia inter proximos vitanda sunt, quamdiu necessitudinum nomina perseverant: quoniam nunquam Christianis conuenit, vt duæ aut tres necessitudines, vt beatus ait Augustinus, in homine vno fiant. Auctoritate quippe Dei sanctæ ecclesiæ, quam ab apostolis sibi traditam creditur obseruare, cui refragari fas non est, & mundanæ legis censura, nec non & ipsius naturæ honestissimo ordine perdoceatur, propinquitatis coniugia usque vltra septimum gradum differenda. Vnde sanctus Augustinus in libris de ciuitate Dei dicit, ne ipsa propinquitas longius abeat, & esse desistat, hanc matrimonii vinculo rursus colligari, & quodammodo fugientem reuocari. Isidorus itaque de consanguinitate sic loquitur: Cuius series septem gradibus dirimitur hoc modo. Filius & filia, nepos & neptis, pronepos & proneptis, abnepos & abneptis, adnepos & adneptis, trinepos & trineptis, trinepotis filius, & trinepotis filia. Hæc consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad vltimum gradum sese subtraxerit, & propinquitas esse desierit, eam rursus lex matrimonii vinculo repetit, & quodammodo reuocat fugientem. Et arbor iuris legis Romanæ, ecclesiasticis concordans legibus, a præcedentibus & subsequenteribus, dextra læuaque, usque vltra septimum gradum neminem nemini legaliter sociari permittit: & filii, qui ex tali coniugio nascuntur, in heredita-

De ciuitate  
 Dei lib. 15.

Lib. 15.  
 cap. 16.

16d. lib. 9.  
 orig. c. 6.

tem secundum legalem censuram legitime non admittuntur. Sciendū est etiam, quia propinqui filii vel filia ex parte patris agnati vocantur, ex parte autem matris cognati appellantur: & patris frater, vel soror, patruus & amita, patruus vel amita filius, patruelis, patruus vel amita filia, amita, & sic agnatio ex parte patris vsque ad septimam generationem vadit. Frater matris, auunculus dicitur, soror matris, matertera. auunculi vel matertera filius, consobrinus: auunculi vel matertera filia, consobrina. consobrina filius sobrinus, consobrini vel consobrina filia, sobrina, & sic cognatio ex parte matris vsque ad septimam generationem procedit. Patris pater auus, aui pater proauus, proauus pater abauus, abauus pater atauus, atauus pater tritauus, tritauus pater, pater tritauus vocatur. Matris mater auia, auia mater proauia, proauia mater abauia, abauia mater atauia, atauia mater tritauia, tritauia mater, mater tritauia dicitur. Aui frater propatruus, propatruus filius, propatruelis, & sic ex parte aui cognatio vsque ad septimam vadit generationem. Auia frater, maior auunculus, auia soror, matertera magna, auunculi filius, proprius sobrinus, matertera filia propria sobrina, inde sobrini & sobrina, & sic vsque ad septimam generationem cognatio ex parte auia vadit. Proinde necesse est, vt vnusquisque fidelis huiusmodi incesta coniugia caueat: ne id quod licite potest cum aliis, illicito gerendo cum propinquis, & peccati lapsus incurrat, & apostolico anathemate percellatur: sicut beatus iunior papa Gregorius ante corpus beati Petri synodali definitione subanathematis vinculo hæc quæ sequuntur decreuit, dicens: Si quis presbyteram duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis diaconam duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in coniugio duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis commatrem spiritalem duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis fratris vxorem duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis neptem duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis nouercam,

Concilium  
Romanum  
sub Grego-  
rio II.

ANNO  
CHRISTI  
874.

ANNO  
CHRISTI  
874.

cam, aut nurum suam duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis consobrinam duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis viduam furatus fuerit in vxorem, vel consentientes ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis virginem, nisi desponsauerit, furatus fuerit in vxorem, vel consentientes ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis ariolis, aruspibus, vel incantatoribus obseruauerit, aut phylacteriis vsus fuerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Et sanctum Ilerdense Concilium decreuit, Can. 4. dicens: De his qui se incesti pollutione commaculant, placuit vt quoulsque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad Missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur. Cum quibus etiam 1. Cor. 5. nec cibum sumere vlli Christianorum, sicut Apostolus iussit, oportet. Et hinc Toletanum Concilium: Nam & Concilium Toletanum II. Can. 5. hac salubriter praeuenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, vsquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari. *& cetera, vsque habeatur extraneus.* Et venerabilis Synodus Agathensis hinc decreuit hoc modo: De Concilium Agath. Can. 61. incestis coniunctionibus, nihil prorsus veniae reseruamus, nisi cum adulterium separatione sanauerint. Incestos vero, nullo coniugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus: Si quis relictam fratris, quae pene prius soror extiterat, carnali coniunctione violauerit; si quis fratris germanam vxorem accipiat: si quis nouercam duxerit: si quis consobrinae, sobrinaeue se societ. Quod ita praesenti tempore prohibemus, vt ea, quae sunt ante nos instituta, non dissoluamus. Si quis relictæ vel filiae auunculi misceatur, aut patru filiae, vel priuignae suae coniugio polluat. Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem. De his autem, qui ex huiusmodi piaculis egerunt poenitentiam, & eam minime seruaerunt, S. Papa Siricius ad Himerium Tarraconensem

Concil. Tom. 24.

D dd



Siricius  
epist. l. c. 5.

episcopum scripsit hoc modo: De his, inquit, qui acta pœnitentia, tamquam canes ac fues ad vomitus pristinos & volutabra redeunt, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & noua coniugia, & inhibitos denuo appetere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia iam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacrae mysteriorum celebritati, quamuis non mereantur, intersint, a dominicæ autem mensæ conuiuio segregentur: vt hac saltem districtione correcti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subueniri. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus deinxerunt, seruandam esse censemus.

Concilium  
apud Tu-  
fiacum.

De peruatione siquidem rerum ecclesiasticarum, in epistola episcoporum xiv. prouinciarum, a Synodo in Dei nomine congregata in villa Tusiaco Tullensis parochiæ Aquitanis directæ, sufficienter de sacris auctoritatibus collectum habetur. De quibus quædam hic repetere non nobis est pigrum, quia experientia didicimus necessarium. Vnde sanctus papa Anacletus, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, postea in sede Romana successor illius factus episcopus, cum totius mundi sacerdotibus iudicauit: Qui abstulerit, inquit, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: mater vero nostra ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regenerauit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum iusti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam & res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & vt sacrilegus iudicandus est. Item S. Urbanus papa & martyr: Res & facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac precia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ana-

ANNO  
CHRISTI  
374.AN  
CHR  
374

ANNO  
 CHRISTI  
 1574

niæ & Sapphiræ, & oportet huiusmodi tradere satanæ, vt spiritus saluus sit in die Domini. Item sanctus Lucius papa: Rerum ecclesiasticarum ac facultatum raptores, & cetera, vt supra in Concilio apud Tusiacum, vsque ambulare cum Deo tuo. His rite perpensis, quicumque vult ab excommunicationis anathemate, incestis, vel rerum ecclesiasticarum peruaforibus iudicio sancti Spiritus intentato, esse immunis, eis post euangelicam commonitionem non communicet, donec separatione & pœnitentia congrua, ab hac contagione pollutionis vel sacrilegio se purificent, obaudientes Apostolum, imo per Apostolum loquentem Dominum: *Nolite, inquit, communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem & redarguite.* Ephes. 5. Quam sententiam ita beatus Augustinus exponit: Duobus, inquit, modis non te maculat malus; si non consentias, & si redarguas. Quia enim parumerat non communicare, id est non consentire operibus tenebrarum, si sequeretur negligentia disciplinæ, ait Apostolus, *magis autem & redarguite*, Domino item in scriptura dicente: *Anathema in medio tui: non poteris stare coram inimicis tuis.* Iosue 7. Hæc, fratres & filii, in quocumque ordine & dignitate quisque sit Christianus, ad vos ex Domini mandato dirigimus, qui de omnibus hominibus omni episcopo dicit: *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me.* Ezech. 3. *Ex me*, inquit, & non *Ex te*. Nos enim non nostra, nec noua cudimus, vel condimus, sed vetera per sanctos veteres patres Spiritu Dei condita vobis annuntiamus. Propterea hæc sicut Domini mandata suscipite, cuius potentia non potestis, & voluntati atque mandato non debetis resistere, si non vultis vt vestri proprii inimici saluti vestræ obistere. Nos autem talia vobis tacere nec possumus, nec audemus: quia Dominus nobis per prophetam dicit quod Ezech. 3. si non annuntiauerimus vobis, sanguinem vestrum de manu nostra requiret: & ab illis patribus & prædecessoribus nostris, quorum vices tenemus in terris, coram Domino degradamur in cælis, si non exequimur quæ illi statuerunt regulis diuinitus inspiratis. quoniam sicut B. Leo papa S. Spiritu inspirante dicit, subditorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentisque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Propterea

si vos ab his, vnde commonemini, quantocius non correxeritis, sicut illi in celo, & nos in terra, vna cum apostolica sedis præsule, & omni sacerdotum vnanimitate, vos a Christi & fidelium eius consortio segregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Christo & vestra salute obnixius deprecamur. Vos autem si mandatis dominicis obedire studueritis, & vestram salutem præsentem scilicet & futuram agetis, & gloria atque corona nostra coram Domino eritis, qui de vobis reddemus illi in die iudicii rationes, sicut & vos de vobis ipsis, & de omnibus vobis commissis rationem estis sine dubio reddituri. Quod tunc erit, si modo a diabolicis & malis operibus, atque a peruersis hominibus vos segregaueritis, vindicantes contra diabolum & vitia atque peccata honorem vestrum, qui homines ad imaginem Dei facti estis. Ad hoc enim, sicut scriptum est, vt Deum timeat & mandata eius custodiat, factus est omnis homo, propter quem factus est Deus homo, qui cum Deo Patre in vnitatem Spiritus sancti viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

### DIFFINITIO EIVSDEM SYNODI.

DE QVADAM MONACHA NOMINE DVDA  
*sacrilege corrupta: sed & de eiusdem sceleri consentientibus Bertam & Erpredam.*

*Iob. 40.*

**C**AUSAM sceleris inter Dudam monacham, partu conuincte vix tandem confessam se de Huntberto presbytero concepisse ac peperisse, & eundem Huntbertum hoc pertinaciter spe denegantem, quia putat se iuramento iniquitatem suam posse abscondere, iurando cum presbyteris complicitibus suis, qui iuxta quod scriptum est, vmbra eius vmbra protegunt, videlicet defensione illius iniquitatis, cum de huiusmodi fuerint interpellati, suam nequitiam abscondendo se posse protegere, & inter monachas Bertam & Erpredam huic sceleri consentientes, quæ hinc interrogatæ facile dicuntur fuisse confessæ, secundum tramitem scripturarum, prædicationemque maiorum, per sacras leges ac regulas, quas coniunctim multoties in decretis suis ad causas diffiniendas beatus papa Gregorius ponit, rationabiliter diffiniri posse putamus.

I.

ANNO  
 CHRISTI  
 874.

Primum quidem attendendum est in Huntberto presby-  
 ro, de peccato manifesto se excusante, quod B. Gregorius  
 in regula pastoralis dicit: *Ibi habuit foueam ericius*. Ericii quip-  
 pe nomine impuræ mentis seseque callide defendentis du-  
 plicitas designatur. quia videlicet ericius cum apprehendi-  
 tur, eius & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus om-  
 ne conspicitur: sed mox cum apprehensus fuerit, semet-  
 ipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput  
 abscondit, & intra tenentis manus totum simul amittitur,  
 quod totum simul antea videbatur. Sic nimirum, sic impu-  
 ræ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur.  
 Caput enim ericii cernitur, quia quo initio ad culpam pec-  
 cator accesserit videtur: pedes ericii conspiciuntur, quia  
 quibus vestigiis nequitia sit perpetrata, cognoscitur: & ta-  
 men adductis repente excusationibus impura mens intror-  
 sus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia ab-  
 condit: caput subtrahit, quia miris defensionibus nec in-  
 choasse se malum aliquod ostendit: & quasi sphæra in ma-  
 nu tenentis remanet, quia is qui corripit, cuncta quæ iam  
 cognouerat subito amittens, inuolutum intra conscien-  
 tiam peccatorem tenet: & qui totum iam reprehendendo  
 viderat, tergiuersatione prauæ defensionis illusus totum  
 pariter ignorat. Vnde necesse est, vt ex alia sua actione,  
 quam negare non potest, idem Huntbertus conueniatur,  
 sicut idem sanctus Gregorius in præfata regula docet:  
 Nonnulla, inquit, sunt subtilia occulte perscrutanda,  
 vt quibusdam signis erumpentibus rector in subditorum  
 mente omne quod clausum latet inueniat, & interuenien-  
 te correctionis articulo ex minimis maiora cognoscat. Vn-  
 de ecce ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, fode tibi pa-  
 rietem*. Vbi mox isdem propheta subiunxit: *Et cum perfodis-  
 sem parietem, apparuit ostium vnum, & dixit ad me: Ingredere,  
 & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt*. Hic notan-  
 dum itaque est, quia prius foramen in pariete, ac deinde  
 ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio de-  
 monstratur. Quia nimirum vniuscuiusque peccati prius  
 signa forinsecus, deinde ianua apertæ iniquitatis osten-  
 ditur, & tunc demum omne malum, quod intus latet,  
 aperitur.

Esai. 54.  
 Greg. Pa-  
 stor. part. 3.  
 cap. 12.

Ezech. 5.

## II.

Dicitur namque quod præfata Duda aspirans ad regimen abbatissæ, ascivit sibi familiarem Huntbertum presbyterum, qui scribebat breuiculos, quos ipsa Duda contra regulam suæ professionis per diuersos mittebat, vt fatigerent quatenus abbatissa fieret: decernente B. Benedicto, vt nullatenus liceat monachæ, neque a parentibus suis, neque a quoquam hominum, nec sibi inuicem literas, vel eulogias, vel quælibet munuscula accipere, aut dare, sine præcepto abbatissæ. quæ autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat. Et adeo latens malum excreuit, vt ipse Huntbertus contra abbatissam, cui fidelitatem iurauit, sed & contra præpositum suum, falsos breues scripserit, vt abbatissa deposita, Duda regimen posset assumere. Quos breues vsque ad præsentiam & inquisitionem regionum missorum protulit, & de mendacio, ac infidelitate, seu periurio, exinde in præsentia illorum reuictus fuit, ac per hoc calumniatoris crimen incurrit. Vnde sacræ leges, quibus vna cum sanctis regulis sancta moderatur ecclesia, dicunt: Calumniatores sunt, qui falsa deferentes contra cuiuscumque innocentis personam, principum animos ad iracundiam commouere præsumunt, qui omnes infames effecti in exilio detrudentur. Et item: Non est ratio, qua manifesti calumniatoris supplicium differatur. Nec enim patimur frequentia iterari, quæ consistere prima accusatione nequiuerunt, atque alienam innocentiam securitatemque sine crimine damnabili appetitione terri. Et item: Quicumque scripturam in audientiam protulerit, veritatem eius probare iubeatur: quia hoc in omnibus causis statutum est, vt scripturam prolator affirmet. Nam si is qui scripturam protulit, eius non adstruxerit veritatem, vt falsitatis reum esse retinendum. Inter decem quippe præcepta, quæ Dominus in monte Sina per famulum suum Moysen Israelitico populo dedit, falsum testimonium specialiter prohibuit: *Non falsum*, inquit, *testimonium dices*. Hi namque, qui contra iustitiam falsitatem opponunt, vt catholici doctores tradunt, similes sunt falsis testibus, qui in passione Christi falsum contra eum dixerunt testimonium. De falsis quoque testibus in libro Deuteronomii ita iubetur: *Si steterit testis mendax contra hominem,*

Interpretatio.

Codice  
Theod.  
De calum-  
niat. 1.Interpret.  
l. 7. Codice  
Theod.  
De fide te-  
stium, &c.Exod. 20.  
Matth. 19.

Deut. 19.

ANNO  
 CHRISTI  
 874

accusans eum prauaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentissime perseuerantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddant ei sicut fratri suo facere cogitauit. Et auferes malum de medio tui, ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere, & non misereberis eius. De falsis quoque testibus Salomon ait: Testis falsus non erit impunitus. Et alibi, in sex quæ se Deus odisse dicit, testem fallacem & proferentem mendacia annumerat. Testis falsidicus tribus est personis obnoxius. primum Deo, quem peierando contemnit: sequenter iudici, quem mentiendo fallere cupit: postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. In sancta quoque sua lege Dominus specialiter falsum testimonium & periurium atque mendacium prohibuit. Quicumque igitur vnum ex his transgressus fuerit, domini præcepti prauaricator sine dubio existit. Et de his tribus præfatis presbyter Huntbertus conuictus ante missos regios fuisse dicitur. Quapropter vocem non habet, ut sacramento de hoc sacrilego adulterio se, vel singulariter, vel cum suis complicibus, valeat expurgare. decernente hinc sacra lege, quam probat ecclesia: In conuictum reum, qui de obiecti criminis veritate conuincitur, siue torqueri possit, siue non possit, iudex quod ei visum fuerit iudicabit. Et Africano decernente Concilio: Quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, & vnum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cetera iam non admittatur. E contra Huntbertus presbyter, qui de præfatis comprobatus dicitur atque conuictus, ad se purgandum de obiecto sacrilego adulterio, sicut & præcedens lex manifestat, non habetur idoneus.

Præf. 19.  
 Præf. 6.

Interpretatio.

Cap. 97.

III.

Quia vero lex dicit: Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est. nam alibi criminum reus prohibetur audiri. & Carthaginense Concilium dicit, ut accusatus vel accusator in eo loco, vnde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur. Et Africanum Concilium illic iubet

Concilium  
 Carthaginense  
 Canon 30.

agitari iudicium, vbi testium necessaria personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multa alia impedimenta adduci valeant. Et quia quæ testificantur aduersus eum de sacrilego adulterio, a monasterio rationabiliter longius abduci non possunt, vicarii Synodi cum missis regis ad idem accedant monasterium, & subsequenti modo causam diffiniant.

## IV.

Separantur ab inuicem monachæ, & singillatim interrogentur, si forte suam sententiam immutabunt, vel in eadem qua prius permanebunt sententia. Et interrogetur Duda de temporibus, & locis, & horis, quando hoc nefarium scelus cum Huntberto commisit presbytero. Et ostendatur ei quam grauius peccatum super peccatum addet, si de alio aliquo concepit & peperit, & falso Huntbertum de crimine ipso insimulat. Et allegetur ei, vt secundum professionis suæ regulam veritatem ex corde & ore proferat: quia pura confessio etiam a morte liberat, & iustificationem per indulgentiam confitenti apud Deum misericordiam impetrat, dicente scriptura: *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris.* Prior, inquit, quia si ipsa non dixerit, diabolus in iudicio coram omnibus sanctis & peccatoribus dicet. Propterea melius illi est, vt hic puram confessionem faciat, & indulgentiam accipiat, quam in conspectu angelorum & hominum omnium in futuro iudicio confundatur, & perpetuis flammis tradatur. Et si puriter fuerit confessus, leuior illi erit pœnitentia. Deinde consentientes nequitia illius sorores singillatim interrogentur, & similiter de sententia sua experientia colligantur. Deinde isdem presbyter securetur, quia iuramento nec singulariter, nec cum aliis presbyteris, se poterit expurgare, quia vocem propter præmissa non habet, vt se idoneum reddere valeat. Et si facile ac puriter confessus fuerit, veniant simul in conspectu congregationis idem presbyter & complex illius Duda & consentientes eis, & coram omnibus singillatim confiteatur. Si autem idem presbyter negauerit, veniat coram Synodi vicariis, & missis regis, ac presbyteris & clericis ipsius monasterii, & coram abbatissa & congregatione, & veniat ipsa Duda, & consentientes eis, & reuincant ipsum presbyterum, computantes,

ANNO  
 CHRISTI  
 1574.

putantes tempora, & loca, & horas, secundum quod de crimine conscia quæque illarum existit. Et si ipse presbyter se concrediderit, facilius ei erit pœnitentia: sin autem in pertinacia sua perstiterit, conuincatur hoc modo.

V.

Leges dicunt: Iudex criminofum discutens non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reus ipse fateatur, aut conuictus vel per innocentes testes, vel per confcios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium, aut maleficio commississe manifestius conuincatur. Et item: In criminibus eruendis quæstio quidem adhibetur, sed non statim a tormentis incipiendum est. Ideoque prius argumentis quærendum: & si suspicione aliqua reus vrgeatur, adhibitis tormentis de sociis & sceleribus suis confiteri compellatur. Et item: Vnius facinoris plurimi rei ita audiendi sunt, vt ab eo primum incipiatur, qui timidior, & teneræ ætatis esse videatur. Et item: Testes prius quam de causâ interrogentur, sacramento debere constringi, vt iurent nihil falsi se esse dicturos. Quia vero iuratio non nisi in necessitate vtenda est, ostendit Dominus: *Sit*, inquit, *Math. 6.* *sermo vester, est est, non non, quod amplius est, a malo est.* Id est, iurare cogeris; scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas vtique malum est. Vnde quotidie nos liberari deprecamur, cum dicimus: *Libera nos a malo.* Ideoque non dixit, *Quod amplius est, Math. 6.* *malum est, sed a malo est, illius, cuius infirmitate iurare cogeris.* Secundum quod præmissa lex dicit, super sacrosancta euangelia & cetera diuina mysteria iuret prius Duda, & postea illæ, quæ suo facinori consenserunt, de causâ interrogata se nihil falsi esse dicturas. & post iuramentum, proferant testimonia aduersus Huntbertum presbyterum. Post prolatum autem testimonium, quia lex dicit, quod Dominus in euangelio approbat, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. & Apostolus ad Timotheum scribit: *Aduersus presbyterum accusationes noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus. & peccantes coram omnibus argue, vt ceteri timorem habeant.* & vt præmisimus, leges dicunt vt criminofus vel per innocentes testes, vel per confcios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium, aut male-

Concil. Tom. 24.

E e e



Can. 1.

ficiū commiſiſſe contineatur: & ſacri Nicæni Canones diffiniunt, vt ſi aliquod delictum animæ circa perſonam neophyti epiſcopi reperiatur, & a duobus vel tribus teſtibus arguatur, a clero talis abſtineat: vel conſeſſus, vel conuictus Huntbertus preſbyter, tribus teſtibus criminis ſui conſciis, auctoritate ſacrarum legum ac regularum, ſynodali iudicio a vicariis Synodi deponatur, & per miſſos regios in longinquam terram ac perpetuum exilium, iuxta imperatorum & regum antiquas & conſuetudinarias leges deducatur, & in aliquo monaſterio ipſius exilii ſub pœnitentia retrudatur, laica tantum ſibi communionem ſeruata. De huiusmodi enim degradatione ſanctus Innocentius decreuit, dicens: Eos qui talia perpetrare dicuntur, iubebitis in medio collocari, diſcuſſiſque obiectionibus, quæ ipſis preſbyteris impinguntur, ſi conuinci poterint, a ſacerdotali remoueantur officio, quia qui ſancti non ſunt, ſancta tractare non poſſunt, atque alieni efficiantur a ministerio, quod viuendo illicite polluerunt. De perpetuo namque exilio in longinqua terra, & ſacræ leges, & epiſtolæ Leonis atque Gregorii oſtendunt, quia longius a loco, quem ſæce ſuæ iniquitatis infecit, amoueri debeat & abduci. De retrudendo autem eo in monaſterio ſanctus Leo decreuit dicens: Alienum eſt a conſuetudine eccleſiaſtica, vt qui in preſbyterali honore, aut diaconii gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. Quod ſine dubio ex apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Sacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro illo?* Vnde huiusmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei priuata eſt expetenda ſeceſſio, vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa. Et ſanctus Gregorius ad Sabinianum epiſcopum: Preſbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præſentium relatione conſuluit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum aut permanere aut reuocari poſſe cognoſcas, ſed in monaſterio ſub pœnitentia retrudatur. Et Canones Neocaſarienſes: Preſbyter, ſi vxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. De non excommunicando autem eo a communionem corporis & ſanguinis Chriſti, item

Decret. c.  
33.Decret. c.  
16.

1. Reg. 2.

Lib. epiſt.

Can. 1.

ANNO  
CHRISTI  
174.

ANNO  
 CHRISTI  
 874.

Canones dicunt : Episcopus, presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur: non tamen communione priuetur. Dicit enim scriptura: *Non iudicabit Dominus bis in idipsum.*

Apostol.  
 Can. 25.

Nam. 1.

VI.

De Duda siquidem monacha sacrilege corrupta sanctus Siricius ad Himerium diffiniuit, dicens: Præterea monachorum quosdam atque monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciuiam, vt prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum conscientia desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procrearint: quas & publicæ leges, & ecclesiastica iura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu, ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deslentes, purificatorio possint pœnitundinis igne decoquere: vt eis vel ad mortem saltem, solius misericordia intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subueniri. Et hinc sanctus Innocentius: Quæ Christo spiritaliter nubunt, & a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, vt quæcumque viuente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agenda pœnitentia licentia concedatur, nisi vnus ex his fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est, quæ antea se immortalisponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit? Et sanctus Leo: Propositum monachi, proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deserere non potest absque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentia satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia, aut honestum potest esse coniugium, electionem meliorum deseruisse, transgressio est. Et Sanctus Gelasius: Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognouimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere. quos pro-

Decret. c. 61

Decret. c. 19.

Decret. c. 16.

Decret. c. 20.

tinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi: aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.

## VII.

Hæc a sanctis Canonibus, antequam sanctus Spiritus per B. Benedictum eodem spiritu, quo & sacri Canones conditi sunt, regulam monachorum ediderit, de huiusmodi sunt decreta: sicut & ea quæ sancti Ambrosius & Hieronymus de lapsu virginis Deo sacrata, & B. Augustinus de sancta virginitate & lapsu monachi scripserunt. Quæ Duda attentius & sapius sunt relegenda, vt intelligat quantam dignitatem amiserit, & ad quantam vilitatem deuenit, vnde exciderit, & quo ceciderit: & agat pœnitentiam cum fletu & abiectionis humilitate quamdiu vixerit. Quæ pœnitentia sit illi, vt scriptum est, in velamentum oculorum, memoreturque se deprehensam. Et cum sermonem beati Augustini de lapsu monachi legerit, sciat se, licet imparem sexu, parem professione: & quæ de monacho dicit, de se monacha dictum intelligat. Ceterum quoniam eadem regula, sancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate beati papæ Gregorii inter canonicas scripturas, & catholicorum doctorum scripta, est teneri decreta: sæpèfata Duda sacrilego adulterio corrupta, secundum eandem regulam ea temperantia, vt cum sacris Canonibus iudicium regulare conueniat, est iudicanda. Quia monachus, vel monacha, iuxta eandem regulam collum non excutit de sub iugo regulæ, si quod contra regulam commisit, per regularia iudicia suæ professionis studuerit emendare. Quapropter, quia multis modis ipsa Duda contra regulam admisit, pro quibus grauiori vindicta, vel virgarum castigatione castigari, sicut actiones illius produnt, & qui regulam norunt intelligunt, (quæ hic omnia inferere superfluum duximus) iubetur, coram abbatisa sua, vel sororibus, vt cetera metum habeant, nudo dorso, remota virorum præsentia, virgis flagelletur, si se humiliauerit, cum misericordia, sicut scriptum est: *Corripiet me iustus in misericordia: vt caro quæ delectabiliter illam traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, & sanguine carnis virgis elici-*

ANNO  
CHRISTI  
874.

to, sanguinem animæ, videlicet profusas lacrymas, flagello producat a mente. Si autem durior fuerit, faciat abbatissa secundum caput regulæ, in quo scriptum est: Improbas, inquiens, & duras, ac superbas, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: *Stulta verbis non corrigitur.* & iterum: *Percute filiam tuam virga, & liberabis animam eius* Prou. 23. a morte. Et quia sacri Canones huiusmodi pœnitentia publica iubent multari, secundum capitulum xxv. regulæ, quod sententiæ Pauli apostoli, & Canonum diffinitioni concordat, iudicium pro graui culpa suscipiat. In quo iudicio tribus annis immoretur. & abbatissa sollicitudinem de illius pœnitentia & consolatione secundum capitulum xxvii. regulæ diligenter adhibeat. Et alios tres annos, secundum capitulum xlix. regulæ, sororibus in oratione communicet, non tamen in choro cum sororibus, sed retro ostium stans vel orans, secundum Canones sacros, siue in loco constituto sibi a matre monasterii, vt ab omnibus possit videri, sicut & regula de ea dicit, quæ tarde ad diuinum venit officium, eam stare & satisfacere iubet. Septimum vero annum, secundum cap. xxi. regulæ, in vltimo loco degens, in oblatione sororibus secundum Canones sacros communicet. Et post septem annos communionem corporis & sanguinis Christi, si pœnituerit digne, percipiat; de cetero vsque ad vltimum vitæ suæ finem permanens in omni regulari subiectione. Et sicut ipsa regula dicit, præterita peccata sua cum lacrymis vel gemitu quotidie Domino in oratione confiteatur, reducens ante oculos quantos gemitus in partu habuit, quem cum delectatione concepit, & quanta suspiria etiam ante partum emisit, timens deprehendi, sicut & est deprehensa: & hos gemitus, atque suspiria, seu profusas lacrymas emittat in sceleris pœnitentia, de qua dicit psalmus: *Ibi dolores vt parturientis.* Psal. 47. Ibi, id est, in contriti cordis pœnitentia, sunt dolores vt parturientis. Dolor enim pœnitentis, quasi dolor est parturientis: quia confitendo in oratione cum gemitu ac fletibus a se emittit, quod male ac voluptuose in voluntate concepit. Hinc & alius psalmus dicit: *Introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: confitemini illi.* Psal. 99. Cum peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ viæ portas ingre-

dimur. Sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessione laudis intramus. Quia ibi iam angusta via non erit, cum nos lætitia æternæ solennitatis assumpserit. Propter quam confessionis nostræ angustiam Veritas dicit: *Intrate per angustam portam.* Et cum se Psalmista recipi in latitudine gaudii æterni præsumeret, dicebat: *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Quapropter providendum est his qui peccata suorum operum deplorant, vt consummata mala perfecta diluant lamentatione, ne plus astringantur in debito perpetrati operis, & minus solvant in fletibus satisfactionis, sicut scriptum est: *Potum dedit nobis in lacrymis in mensura.* vt videlicet vniuscuiusque mens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibat lacrymas, quantum se a Deo meminit aruisse per culpas. Debet ergo maiorem in se quisque seueritatē exercere, vt a seipso iudicatus peccator, vel iudicata peccatrix, non iudicetur a Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, si ascenderit homo aduersum se tribunal mentis suæ, & constituerit se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, sicut comminatur Deus peccatori. Atque ita constituto in corde iudicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, \* iusta ratio, carnifex timor. deinde sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum vel indignam peccator siue peccatrix iudicet participatione corporis & sanguinis Domini. Versetur ante oculos imago futuri iudicii, vt cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse vel ipsa non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. Seruatis quoque, quantum humana fragilitas patitur, regularibus xi. gradibus \* humiliatis, iuxta xii. gradum corpore humiliatam videntibus se semper indicet, id est, in opere, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel vbiicumque, sedens, orans, & ambulans vel stans inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, ream se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio repræsentari existimet, dicens ibi in corde semper illud quod publicanus ille euangelicus fixis in terram oculis dixit: Domine non sum digna ego peccatrix leuare oculos meos ad cælum. Et

Math. 7.

Psal. 90.

Psal. 79.

Luc. 18.

ANNO  
CHRIST.  
874.

\* fidelis

\* humili-

tatis,

item cum propheta: *Incuruata sum, & humiliata sum usque-  
 quaque.* Imitans meretricem mulierem pedes Domini lacrymis rigantem, & capillis suis tergentem, & vnguento vnguentem: cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Gestet denique incessanter foetorem luxuriae in naribus mentis suae, & depictum sacrilegium Deo dicati corporis sui, & incestum adulterium a se commissum, quae Christo spiritualiter nupsit, in corde suo dicens cum lacrymis ex visceribus intimis: *Amplius laua me, Domine, ab iniquitate mea; & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Et increpante se rea conscientia dicat, Peccaui Domino, vt transferat Dominus peccatum suum, & non moriatur in aeternum. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, & alleuat omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Post lacrymas quoque, tam nocturnas, quam diurnas, non ad inanem latitiam, vel mortiferam tristitiam, seu prauas & turpes cogitationes cor suum redire permittat, & lucrum compunctionis per incuriam fluxae cogitationis perdat. Sed quotiescumque turpes & fluxae cogitationes illi subreperint, signet frontem suam & cor suum signo crucis Christi, petens vt crucifixa mundi salus crucifigat carnem suam & mentem suam cum vitiis & concupiscentiis. & assidue illi in memoria maneat, quod sancta femina Anna ideo obtinere meruit quod poposcit, quia se post lacrymas in eodem mentis vigore seruauit. De qua nimirum scriptum est: *Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati.* Quia igitur non est oblita quae petiit, non est priuata munere quod poposcit. Et in his omnibus secundum sacros Nicenos Canones propositum & speciem poenitentiae in ea conuenit explorari. Si autem antea infirmauerit, & desperata fuerit, viatico munere non priuetur. Et si conualuerit post communionem, sit inter eas quae communionem orationis tantummodo consequuntur, vsquedum decreto modo praefixos compleat annos. Meminerit autem abbatissa secundum cap. LXIV. regulae, calamum quassatum non conterendum, & ne quid nimis: ne dum cupit eradere aruginem, frangatur vas,

psal. 118.

psal. 50.

1. Reg. 1.

ANNO  
CHRISTI  
874

suamque fragilitatem semper suspecta sit. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia, sed prudenter, & cum caritate ea amputet, prout viderit cuique expedire.

## VIII.

Sicut est discretio in peccatis peccantium, & in medela eorum, ita est discretio in correctione peccantium, & in manifestatione ac medela peccatorum peccantium. De quibus omnibus ne prolixior sermo legentibus sit onerosus, de his tantum quæ ad hoc vnde agitur pertinent, succincte dicamus. Beatus gratia & nomine Benedictus sancto Spiritu inspiratus, consona sacris scripturis, & aliorum orthodoxorum patrum prædicationibus, in regula sua dicit: Si quis in labore quouis, vel in quocumque loco aliquid excesserit, & non veniens continuo ante abbatem vel congregationem ipse vltro satisfecerit, vel prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si animæ vero peccati causâ fuerit latens, tantum abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere & publicare. Quæ & in monacharum cœnobiis erga sui sexus spirituales monasterii matres oportet monachas obseruare. Ceterum omnes tam clerici, quam laici, vel feminae confitentes secreta confessione sacerdotibus peccata sua, & ea dignæ pœnitentiæ satisfactione deflentes, nequaquam sunt prodendi, & peccata eorum nulli a sacerdote quacumque sunt significatione manifestanda, nisi soli Domino in secreta oratione, pro quibus sicuti & pro suis iugiter intercedat peccatis. De peccatis vero, quæ frater in fratrem admiserit, euangelicum documentum est prorsus sequendum, quo dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, & reliqua, vsque dum dicit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Quod autem conscii alienorum peccatorum, nisi aut ea correxerint, aut emendationis gratia his quorum interest manifestauerint, in discrimen adducantur, sancta scriptura tam veteris quam noui testamenti demonstrat, dicens in Leuitico per Moysen: *Si peccauerit, inquit Dominus, anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quod aut ipse viderit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem eius, sine dubio qui aut egit aliquid, aut iurauit quod non debuit.* Hoc etiam, vt

maio-

ANNO  
 CHRISTI  
 874

maiores nostri exponunt, iuxta historiam nos aedificat, & docet ne vnquam in peccatis alterius polluamus conscientias nostras, nec consensum male agentibus praebeamus. Consensum autem, non solum pariter agendo, sed etiam quae illicite gesta sunt reticendo, quae secundum euangelicam regulam manifestare debemus. Hinc & Paulus apostolus dicit: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebra* - *Ephes. 5.*  
*rum: magis autem & redarguite.* Quam sententiam ita beatus Augustinus exponit: Duobus, inquit, modis non te maculat malus: si non consentias, & si redarguas. hoc est non communicare, non consentire. Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinae, addidit: *Magis autem & redarguite.* Vnde sciendum est, sicut catholica tenet ecclesia, quod si quis ea videt in delicto proximi, vel proximae suae, & non indicet secundum regulam superius datam, vel in testimonium vocatus, vel vocata, non quae vera sunt dixerit, peccatum quod commisit ille vel illa, quem aut quam celat, ipse vel ipsa suscipiet, & poena commissi reuoluetur ad conscientiam, vel ad conscientiam, protestante sancto Spiritu per Psalmistam: *Vi-* *Psal. 49.*  
*debas, inquit, furem & concurrebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Et per Apostolum: *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus mala, digni sunt morte.* *Rom. 1.*  
 Quapropter Berta & Erpreda conscientibus tantae nequitiae, non indicantes eam, iuxta libri Leuitici, & euangelici, & apostolicae doctrinae regulam, ac per hoc peccatum committentium suscipientes, quarum grauioris lepra immunditia, sicut & Duda, in apertum prorupta, iuxta legis praecipuum sacerdotali est purificanda iudicio, post mensuratam virgarum castigationem, quia interrogata dicuntur facile fuisse confessae, per tres annos & dimidium praetaxato Duda modo poeniteant. Quae si infirmauerint, praetaxato modo viaticum munus suscipiant, & si conualuerint, ordine praefinito ad perfectionem restitutionis perueniant, & usque ad finem vitae suae, sicut de Duda scripsimus, in omni subiectione & humilitate regulari, & confessione peccatorum suorum permanent. Debuerant enim & Duda, & eius sceleri consentientes, duplicem annorum numerum in poenitentia duplicare, quia & monacha cum presbytero sacrilegum

Concil. Tom. 24.

Fff



1. Cor. 1.

commisit adulterium, & suæ complices huic sacrilego adulterio consenserunt. Sed quia & sexus est fragilis, & Apostolus dicit: *Ne abundantiori tristitia quæ huiusmodi sunt absorbeantur*, & patrum est decreta sententia, quoniam apud Deum non est tam mensura temporis, quam doloris, nec abstinencia ciborum, quam mortificatio vitiorum: credimus per hanc pœnitentiam, si tamen districte ac digne illam egerint, eas Domino satisfacere posse, cuius misericordiæ, vt Leo scripsit, nec modum possumus ponere, nec tempora diffinire. apud quem nullas patitur veniamoras vera confessio, dicente Dei Spiritu per prophetam: *Mox vt ingemueris saluus eris. &: Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris.* quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Sed & plagæ virgarum illis tempus pœnitendi vsque ad communionis restitutionem abbreviant. quia sicut scriptum est: *Liior vulneris abstergit mala, & plagæ in secretioribus ventris.* Mala, inquit Gregorius, liuor vulneris abstergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas vel perpetratas nequitias diluit. quia cum exterius percutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam taciti afflictique reuocamur, atque ante oculos nostros cuncta, quæ a nobis sunt male gesta, reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus. Vnde fit vt inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga secreti ventris, id est mentis: quia sanat nequitias prauiperis occultum vulnus doloris. Hoc medicamentum pœnitentiæ diuersis modis coniectatum, quasi antidotum ex diuersis pigmentis, contra venena diaboli, id est peccata, ex sanctis scripturis, & Canonum ac regulæ sancti Benedicti constitutionibus, & orthodoxorum prædicationibus confectum, pro modulo nostro industriam patrum sequentes, quoniam, vt dicit Gregorius, ars artium est regimen animarum, non præiudicantes maiorum statutis, condidimus: quatenus & ærugo eradatur, & vascula non frangantur, & iuxta veritatis vocem calami quassati non conterantur, & quæ confracta sunt alligentur, & quæ diaboli suggestionem, & propria fragilitate abiecta sunt, per pœnitentiæ satisfactionem ad sinum matris ecclesiæ reducantur.

Prou. 20.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> Concilium Duziacense II. ] In codice sancti Laurentii Leodien-  
sis, cui Synodum hanc debemus, epistolæ synodicae titulus est hu-  
iulmodi: *Epistola synodica episcoporum plurimarum prouinciarum apud  
Duziacum Rhemensis parochia congregatorum, anno incarnationis do-  
minica DCCCLXXIV. indictione VII. Idibus Junii, ad episcopos prouin-  
ciarum Aquitaniae regionis, de incestis coniunctionibus a quampluribus,  
& maxime carne nobilibus viris, ibidem perpetratis, & de rerum eccle-  
siasticarum peruationibus.* Generale placitum Idibus Iuniis hoc anno  
a Carolo rege in villa Duzia celebratum auctor est Aimoinus lib. v.  
cap. XXXI.

ANNO CHRISTI 874.  
SYNODVS TICINENSIS,  
QVA IMPERIVM CAROLO COLLATVM  
confirmatur anno Domini DCCCLXXVI. tempore  
Ioannis papæ VIII. indictione IX. mense Februario.

*Hæc Synodus inserta est Concilio Pontigonensi sequenti, ubi con-  
firmata fuit.*

DECRETVM CLERI LAVDVNENSIS  
DE HENEDVLFO ELECTO EPISCOPO.

*Domino reuerentissimo & sanctissimo Hincmaro archiepiscopo, ce-  
terisque nostræ diœceseos sanctis patribus & episcopis, clerus  
Laudunensis, cum totius parœciæ plebibus, & sibi coniun-  
ctis præsulibus, æternam in Domino Iesu Christo salutem &  
pacem.*

CANONICIS regulis & apostolicis institutionibus sta-  
tutum esse recolimus, vt quoties qualibet ciuitas  
ministerio pontificalis dignitatis caruerit, proprioque pa-  
store vacauerit, cum decreto electionis, singulorum pe-  
tentium manibus roborato, metropolitanum adire ponti-  
ficem debeant, ac de substituendo in loco eius qui decef-  
sit pastore petitione supplici commonere: quatinus & ci-  
uitas sollicitudine pastoralis destituta proprio recuperetur  
pontifice, & qui ordinandus est, gratiosius possit accede-